

aliunde fortassis etiam, sed tamen pro functione datur Ecclesiastica, nimirum ratione & intuitu Ordinis & officii Ecclesiastici. Quamobrem quicquid pro Sacris faciendis lucratur apud Nobilem quempiam Sacellanus, quicquid lucratur in Ordinibus conferendis Episcopus, quicquid item lucratur officii sui ratione Cardinales, quantumlibet extra beneficiorum suorum titulos, intuitu Ecclesiæ lucrari rectissime verissime, que dicentur: ideoque nec testamenta de talibus facere poterunt.

XXVIII. Si dicet, Missarum honoraria aliaque jam enumerata dantur Clericis in mercedem laboris ac servitii & opera personalis præstita; uti loquitur Andreas Vallenſis: hæc ratione præterens, hæc dici debere quasi patrimonialia. Sed nonne omnia quæ Clericis, etiam titulo Beneficii obveniunt, dantur ipsis in mercedem laboris, ac servitii, & operæ personalis præstitæ? Neque alio titulo quam operum, sive ut operariis mercedem Clericis deberi, infra capite sequenti ostendimus; & supra tit. 5. cap. 6. ostensum est, Missarum honoraria esse speciem voluntariæ oblationis, quam populus in sustentationem Sacerdotis, tamquam Ecclesiæ Ministri, facere consuevit.

XXIX. Ineptè quoque, & citra ullam juris auctoritatem, quidam Canonistarum contendunt à conditione & natura honorum Ecclesiasticorum separanda, quæ beneficiatus sibi subtrahit ex debita sustentatione partem vivendo, uti loquitur Andreas Vallenſis; tamquam si de his non secus ac de patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus Clerici disponere possent.

Id juris rationibus haud consentaneum esse bene advertit citatus Boetius Epo ad Cap. 12. §. De Testamentis num. 46. "Hæc enim suadent, ut quæcumque super sunt Clerico, quantumlibet parenti, nihilominus penes Ecclesiam remanere debeant; quia verum semper est, ea intuitu Ecclesiæ esse quæ sita. Confirmatur hæc mea sententia (pergit Boetius) pereleganti J. C. nostro, cum decisione in L. CONTINUUS §. CUM ITA STIPULATUS ff. De P. O. de obligato solvere certo loco; ut si quis Ephesi solvere promiserit; qualis quidem promissor si maturius eò pervenerit quam quisquam ferè potuisset, usus forsitan diplomate vel felici navigatione, sicuti J. C. loquitur, confestim obligatus est; nec illi prodest quòd plus temporis impendere potuisset ad perveniendum illuc: quia in eo quod tempore atque factò finitum est, nullus est conjecturæ locus. Pari proctus modo, si beneficiarius parè vivendo minus impendit quam iudicio bonorum virorum impendere potuisset. Ecclesiæ perinde superflua seu reliqua debentur atque si plus consumpsisset: quia in eo quod factò finitum est, non est conjecturæ locus. Quæ sententia tutior est procul dubio, & juris utriusque rationibus conformior.

Itaque quæcumque Clericis consideratione Ecclesiæ sive titulo officii aut Ordinis Clericalis obveniunt, peculio Clericorum, quod habito respectu ad Ecclesiam profectum vocari potest, attribuenda sunt.

XXX. Illa verò quæ Clericis ex legitima parentum vel consanguineorum, non secus ac aliis laicis obveniunt, vel ex donatione, labore, industria, vel alio modo, quo solent laici, lucrantur, indubiè patrimonialia, aut quasi patrimonialia rectè dicuntur: neque Clericorum conditio naturam horum bonorum immutat: aut Ecclesia circa hæc jus ullum umquam præterdit: sed ea liberè Clericorum dispositioni permittit; atque post mortem Clericorum intestatorum ad consanguineos eorum devolvi, ut ex Canonibus Apostolorum & Antiochenis, quin & Decretalibus sub hoc titulo De Peculio Clericorum manifestum est.

XXXI. Quare & hæc bona patrimonialia & quasi patrimonialia eatenus peculio castrensi & quasi castrensi

filiorum familias comparari possunt; quod sicuti filii familias pleno jure peculia hæc possident, atque de illis sine consensu patris liberè disponunt, tam inter vivos, quàm mortis causâ; ita Clerici hæc bona pariter pleno jure æquè ac laici possideant, & de illis liberè disponant.

XXXII. Dicitur quidem in L. 20. Cod. de Episcopis & Clericis: "Si quis Presbyter aut Diaconus, diaconilla seu Subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut Monachus, aut mulier, quæ solitaria vitæ dedita est, nullo condito testamento deceſerit; nec ei parentes, utriusque sexus, vel liberi, vel qui agnatione cognationeve junguntur, vel uxor exſiterit, bona, quæ ad eum vel ad eam pertinerunt, Sacrosanctæ Ecclesiæ, vel Monasterio, cui forte fuerat destinatus, aut destinata, omnia sicuti fuerunt: Sed id Clericis, cum aliis pluribus Laicis commune est. Laicorum enim hereditas, deficientibus legitimis hæredibus defertur solet Corporibus illis, quibus adscripti sunt, excluso Fisco; uti patet ex toto titulo Codicis Justiniani de hereditatibus Decurionum, Naviculariorum, Cohortalsium, Militum & Fabricensium. Consule Perezium ad hanc titulum Codicis; & Gadelinum De Jure Novissimo lib. 2. c. 16. n. 11. & 12.

XXXIII. Verùm tamen Clericus maneat absolutus Dominus bonorum patrimonialium, atque de illis possit liberè disponere; nihilominus ipsi specialiter attendendum est, ut & in hac bonorum dispositione, se Clericum & Magistrum laicorum ostendat; suoque exemplo demonstrat, quomodo omnia, quæ à Deo accepimus, ad Dei honorem sint expendenda. Et meminerit, quod si omnibus etiam laicis dixerit S. Augustinus in Psal. 147. "Quare quantum tibi dederit Deus, & ex eo tolle quod sufficit: cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Et superflua divitum, necessaria sunt pauperum: quanto magis id Clericis, qui specialiter Deum sibi in hereditatem eligendum duxerunt, dictum censetur.

CAPUT II.

De jure, & quo titulo Clericis alimenta & stipendia debeantur, & quo animo ea accipere debeant;

1. Ministris altaris alimenta deberi ratio naturalis etiam gentilibus persuasit.
2. Legem naturalem expressit Lex Moysaica & Evangelica.
3. Fuit id adstruxit Apostolus, primò à ratione naturali.
4. Argumentum Apostoli ex Lege Moysaica.
5. Confirmat id ipsum Apostolus ex Evangelio.
6. Quando & quomodo eam legem Christus dederit?
7. Ex contextu Apostoli patet justa condemnatio asseriti Joannis Wiclef.
8. Alimenta Clericis deberi ut operariis probat argumentum Apostoli à ratione naturali.
9. Id ipsum probat argumentum desumptum ex Lege Moysaica.
10. Nec aliud indicat totus Apostoli discursus.
11. Similiter & Lex Evangelica.
12. Concluditur solis operantibus alimenta deberi; quod & Jus Canonicum expressit.
13. Inveſtiva S. Gregorii in Pastores non operantes, & de stipendiis Ecclesie viventes.
14. Nec Canonici, nec alii Beneficiarii justè ab Ecclesia stipendia accipiunt nisi sint operarii.
15. Confirmatur, auctoritate S. Bernardi.
16. Id speciatim de Canonici adstruxit Dionysius Carthusianus.

17. Id consonat sanctioni Justiniani Imperatoris.
18. Regula Canonorum monet ne ullus otiosus vota Fidelium comedat.
19. Ineptum quorundam Glossema circa interpretationem Officii.
20. Quare hoc glossema licet ineptissimum vulgò receptum videatur.
21. Quomodo Ministri sua alimenta accipere debeant; & an rectè dicantur merces opera impense.
22. Ministri Ecclesiæ non possunt laborare ut stipendia accipiant; sed accipere alimenta, ut laborare queant.
23. Id rectè expressit S. Augustinus.
24. Non datur sustentatio a populo ut merces laboris, nec finis laboris potest esse sustentatio.
25. Quare id quod datur Clericis rectè vocetur stipendium, quam merces.
26. Primum indicium quo insinuat, Clericum Evangelizare ut manducet.
27. Secundum in dicitur.
28. Tertium cum pluribus remissivè.

Ministris Ecclesiæ in Sacrario laborantibus divinoque cultui specialiter in utilitatem populi destinatis, & intendentibus à populo corporalem sustentationem, seu alimenta necessaria deberi, etià ipsius legis naturalis instinctus Gentilibus persuasit, ut non obscure innuit Sacer Textus. Memorat enim quod & ipsis Sacerdotibus Idolorum terra à Rege (Pharaone) tradita fuerat: quibus (ait) & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Genes. 47. v. 22.

II. Legem hanc naturalem primum Lex Moysaica, ac dein Evangelica proposuit, & exposuit; atque tandem operosè adstruxit Apostolus 1. ad Corinth. 9. ostendens, & ex lege naturali, Moysaica, & Evangelica Ministris Ecclesiæ alimenta deberi.

III. Primum itaque argumentum sumit ab exemplis humanis, ipsa ratione naturali notis & probatis: scilicet militum, agriculturarum & pastorum pecorum.

Quis militat (ait) suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat?

Hæc ex Lege & ratione naturali petita, ostendunt Evangelii ministris, tamquam militantibus pro Christo, ejusque vineam plantantibus & excolentibus, & gregem ipsius pascentibus alimenta & stipendia deberi.

IV. Progreditur Apostolus: Numquid secundum hominem hæc dico? Hoc est, secundum humanam rationem: ut sensus sit: An solum ex rebus humanis mihi suppetunt argumenta ad probandum quod dico, scilicet me & Barnabam habere potestatem ex Evangelio vivendi? An & lex hæc non dicit: Scriptum est enim in Lege Moysi non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit: Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si nos carnalia vestra metamus? ... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt & qui altari deseruiunt cum altari participant?

Hæc ex lege Moysaica desumpta, probant, Ministros Altaris & Sacrificii potestatem habere ex Sacrario & altari vivendi.

V. Et ne forsitan quis crederet, ea tamquam cæremonialia vel judicialia per Christi legem cessare, subjungit Apostolus: Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere; quasi diceret: Sic etiam Christus Dominus in sua, id est, novâ lege ordinavit, atque constituit ut qui Evangelium annuntiant, ex Evangelio vivant,

VI. Hanc legem dedit Christus, quando mittens Apostolos suos ad prædicandum Evangelium dixit eis: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris subijuncta hæc ratione Dignus enim est operarius cibo suo.

Ac si diceret, nolite solliciti esse de temporalibus neque eorum onere gravari; sed nudi & expediti ab his omnibus pergite, quia cibus à discipulis vestris vobis tamquam operarius debetur.

VII. Ex toto ergo hoc Apostoli discursu, manifestum evadit, Ministris Evangelii sustentationem seu cibum à populo deberi; ut proinde meritò damnatus sit à Concilio Constantiensi hic articulus 18. Joannis Wiclef. Decima sunt pura elemosina & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

VIII. Ulterius ex Argumento Apostoli à ratione naturali sumpto, intelligitur alimenta Ministris Ecclesiæ deberi tamquam militantibus, plantantibus, & pascentibus: id est, titulo laboris & operis populo impendi.

IX. Idiplum probant argumenta ex Lege Moysaica deprompta; nimirum Ministris Evangelii tamquam bobus in area Ecclesiæ triturantibus, aut in campo arantibus non esse os alligandum sive cibum negandum. Quod & Lex Moysaica alibi clariùs expressit. Postquàm enim Deus instituit tabernaculi sui ministros & Sacerdotes Aaron & filios ejus, adjunctis in ipsorum adjutorium Levitis, dixit universis Num. c. 18. Excubate in CUSTODIA Sanctuarii, & in MINISTERIO Altaris, ne oriatur indignatio super filios Israël. Omnia quæ sanctificantur à filiis Israël erasidi tibi (Aaron) & filiis tuis pro OFFICIO Sacerdotali legitima sempiterna. Filius autem Levi dedit omnes decimas in possessionem pro MINISTERIO quo SERVUNT mihi in tabernaculo fœderis... Et comedetis eas in omnibus locis vestris tam vos, quàm familia vestra: quia pretium est pro MINISTERIO quo SERVITIS in tabernaculo testimonii.

Quid evidentius, quam temporalia à Deo assignata fuisse Aaron & filiis ejus, & Levitis, pro custodia, & ministerio sive servitio Sanctuarii & Tabernaculi.

X. Sed & totus Apostoli contextus, quid aliud intendit nisi hoc unum, laborantibus & operantibus in Ecclesia pro populo alimenta deberi; inique potestatem esse vivendi ex Evangelio?

XI. Sed & Christus alium nullum dixit dignum cibo suo nisi operarium. Non dixit dignus est Clericus, dignus est Sacerdos, dignus est Pastor, Canonicus, Episcopus &c. sed operarius cibo suo; ut intelligamus, eos esse indignos stipendiis Ecclesiasticis, qui non operantur pro fidelium utilitate, ait Janſenius Gandensis in Concord. Evangelic. 15. Et ad eadem Christi verba reflectens Theophylactus ait: "Hoc est, à Discipulis pascemini: debent enim hoc vobis, ut operariis.

XII. Ut ergo justè & licitè stipendiis Ecclesiæ sustententur: Clericus, oportet ut operetur; ita nimirum, ut dici queat operarius dignus cibo suo; quod & innuitur notissimo illo Juris Canonici principio: officium est propter quod Beneficium, prout exprimitur à Pontifice in Cap. fin. De Rescriptis in 6.

Neque enim hic aliud indicatum voluit Pontifex, quàm Beneficium sive jus percipiendi proventus Ecclesiasticos dari propter officium quod Ecclesiæ præstat beneficiatus; & ratione cujus revera dici queat operarius dignus cibo suo.

XIII. Unde S. Gregorius Homiliâ 17. ad hæc Lucæ verba: Dignus est operarius mercede sua ait: "Sed quid nos, (quod tamen sine dolore dicere non possum) quid nos, O Pastores, qui & mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus, Penlemus cujus damnationis sit, sine labore hic perci-

„pere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? In la in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, infudamus.

XIV. Ex his concludo, nec Canonicos, nec inferiores Beneficiatos dignos esse, qui de Altari vel Evangelio vivunt, nisi revera ita Altari & Evangelio serviant & occupentur, ut saltem juxta vocationem & talentum suum verè dici queant OPERARII digni cibo suo.

XV. Unde ad Clericum in generali loquitur S. Bernardus in declamationibus in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia* §. 16. „Væ vè tibi Clerice mors in olla, mors in ollis carnum, mors in ejusmodi deliciis, non modò, quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia constat populi esse peccata quæ comedis, sumptus Ecclesiasticos gratis te habere reputas? Cantando, ut ajunt, bona tibi provenire videntur, sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare.

XVI. Et speciatim ad Canonicos dicebat jam pridem Dionysius Carthusianus *De Vita Canonicorum* art. 2. „Idcirco à laicis & secularibus data sunt temporalia bona Ecclesiæ, ut quia laicis ipsis non vacat jugiter orationibus atq; divinis obsequiis immorari ac inhaerere, ministri Ecclesiæ ac Clerici suppleant vices, & imperfectu laicorum, orando, ac ministrando, & satisfaciendo pro ipsis, quorum elemosynis stipendiiq; fovetur.

XVII. Haud ille id videtur Dionysius de Sanctione Justiniani Imp. in *L. 42. §. 10. Cod. De Episcopis & Clericis*, ubi vult, ut Clerici compellantur suum implere officium addit à hac ratione: „Nam qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias suas, ut per eas debeant Liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus piis Clericis Deus colatur.

XVIII. Qua de causa Canonici in sua regula per Synodum Aquigranensem exartatà c. 31. admonentur, ut laudes Deo in commune persolventes, pro suis populo; quorum oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent. Et rursus c. 145. „Singuli juxta capacitatem suam diversarum artium erudiantur disciplinis, ut nullus in collegio Canonico inutilis appareat, nec vota fidelium OTIOSUS comedat.

Plura de obligatione Canonicorum servandi Ecclesiæ etiam præterquam in persolvendo Officio Canonico sive Horario, dixi in Dissertatione Canonica De Instituto & Officiis Canonicorum *parte 1. c. 2. & supra titulo 18. c. 4.* dictum est, nec Capellania, quæ hodie antonomastice dicuntur Beneficia simplicia, debere esse sine officio.

XIX. Ex dictis patet, quam ineptum sit quorundam Glossariorum, quo Officium, propter quod datur Beneficium, interpretantur de Officio Horario: ac si sola Officii Canonici recitatione, etiam privata, totum Officium propter quod Beneficium datur, absolvetur: Quasi recitatione Horarum, quæ unius horæ spatio pene integra persolvitur, operarius dignus cibo suo haberi queat. An qui una alterave hora Ecclesiæ legendo aut cavendo servit, & reliquo tempore vel otiantur, aut secularibus negotiis se implicent, ministri atq; operarii Ecclesiæ vocabuntur, ac digni reputabuntur, qui ut operarii cibum ab Ecclesia accipiant?

Hoc itaque Glossema ineptissimum est & ab Ecclesiæ merito quam maximè alienum, quæ per officium intelligit omnia ea, ad quæ singuli Beneficiati juxta institutionem beneficii, & vocationem suam tenentur: ut ea persolutione verè dici queant operarii digni cibo suo, sive proventibus qui propter Officium dantur.

XX. Interim quia hominum cupiditati admodum favet, mirum quanta aviditate receptum sit; adeò ut non

tantum Canonici & Capellani, sed & Pastores, quin & Episcopi se quodammodo officio suo desunctos credant, modò Horas Canonicas persolverint; tamen in persolutione officii Pastoralis & Episcopalis de cætero negligentissimi; neq; de ulla fructuum restitutione vel cogitant, imò nec anguntur, si modò Horarum Canonicarum recitationem non omiserint; quasi præcipua, Pastoralis vel Episcopalis officii portio in hac vocali recitatione consisteret: cum fortè vel minimam partem conficiat: quem admodum ex iis quæ *parte 1. tit. 3. & tit. 16.* dicta sunt, intelligi poterit.

Debetur ergo Ministris Ecclesiæ sustentatio à populo, ipsiq; jus est vivendi ex Evangelio, vel ex Altari, eo quod dignus sit operarius cibo suo, vel ut expressit S. Lucas, *mercede sua.*

XXI. Nequaquam tamen cogitandum est, mercedem deberi vel præteriti posse à ministris Ecclesiæ, quemadmodum opifices recipiunt suarum operarum & laboris mercedem: quasi ipsa merces ministris & officiis Ecclesiasticis respondeat; quemadmodum labori opificum seu operatorum mercenariorum: aut ipsi Ministri Ecclesiæ intuitu hujusmodi mercedis operari possint; cum ipsis dictum sit, *Gratis accepistis gratis date*: sed nomine mercedis hic solum intelliguntur alimenta, seu cibum qui Ministris Ecclesiæ tamquam operariis debetur, non tamquam propriè dicta merces laboris aut operarum, sed tamquam alimenta necessaria, ut operari queant.

XXII. Neq; Ministri Ecclesiæ operantur UT mercedem temporalem seu cibum accipiant; sed cibum accipiunt, ut operari queant.

Itaq; considerandum est, ut monet S. Gregorius citatà *Homilia 17.* „quòd uni nostro operi duæ mercedes debentur: una in via, altera in patria: una quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaq; quæ in presenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisq; prædicator non ideò prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideò mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namq; ideò prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, aternâ procul dubio mercede se privat. Quisquis verò vel ea quæ dicit, ideò placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipse, sed Dominus ametur: vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam laetetur: huc procul dubio ad recipiendam mercedem nil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via.

XXIII. Similiter Augustinus *De Sermonem Domini in monte* c. 16. monet, „neq; ideo debemus evangelizare, ut manducemus, sed ideo manducate ut evangelizemus: nam si propterea evangelizamus ut manducemus, vilis habemus Evangelium, quam cibum. Et paulò inferius: „Si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessaria, prædico Evangelium; an per me habebunt mercedem Evangelii, qui Evangelium ipsum me prædicante diligunt, ego autem non habeo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporibus constitutum.

XXIV. Concludendum ergò cum eodem Augustino libro *De Pastoribus & ovibus* c. 2. „Non redditur sustentatio necessitatis à populo, quasi merces illis qui sibi in charitate serviunt, sed tamquam stipendium, quomodo possunt laborare pascantur. Quare veri Christi ministri non evangelizant ut manducent; & propterea secundum eundem Doctorem, non in victu constituant finem evangelizandi, sed ipsius victus sui finem in Evangelio collocant.

XXV. Notandum quod Augustinus, id quod operariis Evangelicis debetur, vocet stipendium, non mercedem; idq; familiare esse Augustino observat Janfentus Gauden-

in Concord. *Evangel. c. 15.* creditq; ab ipso Augustino ad posteros potissimum dimanasse: metaphora delumpta à stipendio militari ad quod respexit Paulus, dum probat Evangelico operario deberi alimoniam dicens: *Quis militat suis stipendiis unquam.*

Ratio autem quare stipendium propriè vocatur, quamvis hodie passim milites stipendium suum recipiant, tamquam mercedem propter quam militant, est, (ait Janfentus) quia bonorum militum est non militare pro stipendio tamquam mercede, sed pro patriæ, & Reipublicæ aut imperii bono & salute: stipendium autem accipere, ut in militia illa possint persistere. Sic enim antiquitus militabant Romani: sic stipendia eis assignabantur annua. Alioqui qui pro stipendio militant, expectant illud tamquam militiæ mercedem, magnam certè rem vili vendunt, vitam suam venalem exponentes pro pecuniola exigua. Nomine ergò stipendii significatur, Ecclesiasticos operarios non debere operari & militare pro victu & vestitu, sed ea quæ ad alimoniam spectant accipienda ab eis, ut in sancto opere persistere queant. Hanc rationem sane indicat Divus Augustinus libro secundo super sermonem Domini in monte, sic scribens: *Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam & stipendium, sic omnes evangelizantes accipiunt victum & regumentum. Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illi quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tamquam annonam & stipendia consequuntur, aut propter hoc & propter illud.*

XXVI. Sanè illi Ecclesiastici, quorum prima cura est; dum de Beneficio, ratione cujus Ecclesiæ serviendum erit, de proventibus temporalibus, parum aut nihil solliciti quo fructu spiritualia obire, aut Ecclesiæ utiliter servire poterunt, gravi suspitione laborant, quòd non querant alimenta ut evangelizent sed evangelizare, vel Ecclesiæ per Beneficium adscribi velle, ut manducent; sive ut temporalia consequantur: atq; ita *perverso nimis Ordine celestibus terrena mercantur* ut loquitur S. Bernardus.

XXVII. Præterea qui Beneficia seu Ecclesias, quibus adscripti, mox ubi pinguius Beneficium consequi possunt deserunt, non obicere indicant, se spiritualia non habere ut finem, & temporalia ut media: sed inverso ordine, spiritualibus uti tamquam medio, ad temporalia.

XXVIII. Similiter illi Clerici, qui magis anxie invigilant, quibus temporalium curam committant, quam spiritualium; multumq; attenti sunt, ne illis aliquid detrimentum obtingat; parum attendentes, si quæ spiritualibus detrimentum obveniant. De quibus aliisq; indicia latius egi in Dissertatione De Instituto Canonicorum *parte 2. c. 5. §. 4.*

CAPUT III.

Bona Ecclesiæ dicta, Vota Fidelium, pretia peccatorum & Patrimonium Pauperum & quare?

1. Nihil hac definitione in Canonibus & Patrum scriptis notius.
2. Eam allegavit seculo VI. Julianus Pomerius.
3. Ut nota & recepta occurrit in Capitularibus Regum Francorum.
4. Concilia bona Ecclesiastica ita definienda adstruunt juxta Antiquorum Patrum sententiam?
5. Ostenditur quod ex intentione populi offerentis rectè dicantur vota fidelium.
6. Quæ ratione vocentur pretia peccatorum?

7. Rectissime vocantur patrimonium pauperum.
8. Quare frequentius vocentur patrimonium pauperum.
9. Sanctus Gregorius patrimonium Ecclesiæ Romane vocavit res pauperum.
10. Generaliter res Ecclesiæ patrimonium pauperum dicit S. Bernardus.
11. Res Ecclesiæ dicuntur patrimonium Christi & pauperum.
12. Seculo 14. eadem definitio tradita.
13. Quæ res Ecclesiæ defraudant, necatores pauperum vocantur.
14. Episcopus qui res alterius Ecclesiæ usurpare præsumserit deponitur ut necator pauperum.
15. Judicantur pauperum necatores qui res Ecclesiæ diripiunt aq; ac sicut Xenodochiorum diripient.
16. Episcopi passim diripientes aut fraudantes bona Ecclesiæ vocant simpliciter pauperum necatores.
17. Plurimi hanc definitionem accipiunt dum de bonis Ecclesiæ acquirendis aut conservandis agitur, secus ubi deventis.
18. Unanimis & Canonum & Patrum sententia bona Ecclesiæ etiam ad pauperes spectare.
19. Fideles ea mente offerunt.
20. Ecclesiæ non aliâ intentione acceptat.



Nihil vel in Canonibus, vel in scriptis Patrum usitatus, quam res Ecclesiæ dici vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum.

II. De hoc Patrum & Ecclesiæ sensu testis est S. Prosper seu ut alii volunt, S. Julianus Pomerius *lib. 2. de Vita Contemplativa* c. 39. ubi postquam narravit, quomodo S. Paulinus Episcopus Nolanus, & S. Hilarius Episcopus Arelatensis omnia sua contempserunt, & pauperibus erogassent antequam ad Episcopatum venirent, infert: „Unde datur intelligi, quòd tanti ac tales viri, qui volentes fieri Christi discipuli renuntiaverunt omnibus quæ haberent, non ut possessores, sed ut procuratores, facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcirco scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum, non eas vendicant in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus dividerent.

III. Hæc definitio tamquam nota & ex traditione Patrum recepta tempore Caroli M. ejusq; Successorum supponebatur, uti ex eorum Capitularibus notatur, ac signanter *lib. 1. c. 77.* item *lib. 5. c. 108.* & in additione *3. c. 1.* editionis Baluzianæ ubi leguntur hæc verba relata à Gratiano *Caus. 16. q. 1. Can. 59.* „Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem non vivimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum, cuiq; non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus.

IV. Circa idem tempus Concilium Turonense an. 849. in Synodica ad Nomenoiu Ducem Britonum eandem definitionem facultatem Ecclesiæ allegavit qui & Valentini an. 855. idque juxta antiquorum Patrum sententiam.

Similia & in Synodis & authoribus istius & sequentium seculorum plurima occurrunt.

V. Et sanè non immeritò res Ecclesiæ vota dicuntur fidelium: quia primatiam intentionis fidelium bona dicuntur esse, illa Christo offerre: & quodammodo Deo consecrare, & vovere. Unde citatum Concilium Valentini postquam dixit, quòd juxta antiquorum Patrum sententiam, nihil sint aliud nisi vota fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum, immediatè subjungit: „Si eas fideliter & integrè Ecclesiasticis usibus non defendimus, & in eos qui obtulerunt, & in Deum, CUI OBLATÆ sunt, gravissimo nos reatu implicamus.

Itaque in quantum Deo offeruntur, quæ Ecclesiæ dantur,